



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 38. Mediolanum occupandi occasio ab Aurelianensi neglecta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.  
A.C. 1495

riensem urbem esse captam intelligeret, tanto terrore percelleretur, ut ad recuperandam civitatem, atque obtinenda Venetorum auxilia, infima quævis, abjectaque submissionis officia illis exhibere non dubitaret. Mox tamen impetratis copiarum subsidiis suum quoque adjungit exercitum, missoque ad Aureliæ Ducem foeciali inhibuit, ne arrogaret sibi Mediolanensium Ducis titulum, sed quantocius ultra Alpes recederet, Astamque urbem Galeatio Sanseverinati redderet. Jactabunda hæc Ludovici verba Aurelianensis ea, qua par erat, vilipensione elusit.

## §. XXXVIII.

*Mediolanum occupandi occasio ab Aurelianensi neglecta.*

Hæc dum geruntur, Mediolanenses incolæ clam Aurelianensi significant, se non modo urbem suam, sed ipsum quoque Ludovicum, ejus conjugem, liberosque eidem tradituros. Verum Aurelianensis, aut quod Mediolanensium sinceritati diffideret, aut illos promissa exequendo impares censeret, nullam oblato obsequii rationem habuit, ac proin opportunissimam neglexit occasionem, qua non modo præter Mediolanensem urbem ipsum Ludovicum Ducem sibi subdicere, sed

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

sed etiam Carolo Regi suum in Franciam reditum tam expeditum reddere, omnemque difficultatem penitus submovere potuisset, quin propterea ex iis, quæ armis parta possidebat, quicquam amittere periculum incurrisset: ipse vero cum totus in eo esset, ut Novarrensem arcem obsidione cingeret, quam se expugnaturum sperabat, omnium jacturam fecit: quippe Ludovicus, Venetis consentientibus, ex Genuensium Statu exercitum suum revocavit, Galeatio Sanseverinati, cui summam bellici imperii deferebat, datis literis præcepit, ad Pedemontii fines copias admoveret, quæ etiam secundo itinere, trajectoque Ticino flumine Viglebanum pervenerunt. His accesserant ex Venetorum exercitu sexcenti Albanensium pedites, præter mille equites, ac duo Germanorum pedum millia: Ludovicus hisce suppetiis auctus, tam subito belli fortunam mutabat, ut prope nihil deesset, quin totus Aurelianensis exercitus opprimeretur, statimque Galeatius Sanseverinas Novaram urbem obsidione pressit, illamque ad deditionem compulit, eoquod commentu haud instructa esset: Unde Caroli Regis angustiae, ac iter profsequendi, alpesque superandi difficultas haud parum augebantur.

D 5

§. XXXIX.